

imagines sub ciboriis stantes sculptae videbantur, imago vero a dextris in manu sua dextra clavem tenebat, beatum Petrum repraesentans, et alia imago a sinistris beatum Paulum similiter repraesentans, in circumferentia vero sigilli hae litterae legentur: Sigillum maioris ecclesie in Nuenburc. Cuius quidem litterae tenor de verbo ad verbum sequitur in haec verba:

Nos Ludolphus dei gratia Nuenburgensis ecclesiae episcopus — No. 253 —
anno secundo.

Et quia diligenti collatione facta huiusmodi transcripti ad originalem litteram invenimus per omnia concordare, nobis auscultantibus et Johanne de Beychelin clerico Havelbergensis diocesis subscripto notario publico legente, unde ad petitionem dieti domini Ottonis de Rysen huic transumpto auctoritatem nostram ordinariam interposuimus et decretum, volentes et decernentes, ut eidem transumpto de cetero ubique locorum in iudiciis et extra stetur et credatur, ac si ipsa originalis littera appareret. In quorum omnium testimonium praesens transumptum per Johannem de Beychelin supra et infra scriptum in forma publici instrumenti scribi fecimus et nostrorum sigillorum appensione muniri. Acta sunt haec in Misna in ambitu ecclesiae Misnensis in loco ubi consueverunt iura reddi, anno domini millesimo CCC^o quinquagesimo, quarta die mensis Novembris hora quasi tertia, indictione tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia papae sexti anno nono, praesentibus honorabili viro domino Nicolao Ebirhardi decretorum doctore, custode ecclesiae Misnensis, et discretis viris Theoderico plebano in Turgow et Frenzelino Gherhardi clericis Misnensis diocesis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Signum notarii

Et ego Johannes quondam Borchardi de Beychelin, clericus Havelbergensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius una cum praenominatis testibus litterae originalis praesentationi, lectioni, collationi cum transumpto, decreti appositioni ac omnibus et singulis suprascriptis, dum sic agebantur, praesens interfui et ea de mandato et auctoritate dictorum dominorum et ad requisitionem praefati domini Ottonis de Rysen fideliter conscripsi nil addens, minuens vel mutans, quod sensum mutet vel viciet intellectum, et in hanc publicam formam redegi meoque nomine et signo consueto signavi rogatus et requisitus in testimonium omnium praemissorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. An Pergamentstreifen hängen vier schadhafte Siegel.

No. 457. 1350. 4. Nov.

Transsumt einer Urkunde des B. Bruno von Naumburg dat. Nuenburg a. d. 1288 Id. Febr. — No. 283 — mit dem vorhergehenden, bis auf die nothwendigen Abweichungen in den Namen und in der Beschreibung des bischöflichen Siegels, gleichlautend, von demselben Notar vollzogen.

Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen.